



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. IV. Aliæ objectiones solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

divine persone, ratione unius naturæ, unâ gau-
dent ratione. Dominii, sicut & unâ omnipoten-
tia dicuntur omnipotentes: Ergo iervius etiam
immediatè comparatur ad naturam, subinde-
que de illa prædicatur. Tum etiam, quia servi-
tus de qua loquitur, sequitur conditionem crea-
turæ rationalis dependentis à Deo, in esse, fieri,
& conservari, & cum illa commensuratur: Sed
ratio creaturæ sic dependentis à Deo, convenit
immediatè naturæ & ratione illius personæ: Er-
go idem est de servitute dicendum.

§. IV.

Aliæ obiectiones solvuntur.

Obijcies primò: Gratia habitualis præstat for-
maliter esse filium Dei adoptivum, ut in
Tractatu de gratia ostensum est: Sed gratia habi-
talis reperitur in Christo, ut patet ex dictis su-
pra disp. 12. art. 1. Ergo Christus est filius adop-
tivus Dei.

Respondeo primò distinguendo Majorem:
Gratia habitualis, ut habita per spiritualem ge-
nerationem, præstat formaliter esse filium Dei
adoptivum, concedo Majorem, Gratia habitua-
lis spiritualem generationem non terminans, ne-
go Majorem. Similiter distinguo Minorem: Gra-
tia habitualis reperitur in Christo, ut habita per
spiritualem generationem, nego Minorem: ut
communicata alio modo, concedo Minorem, &
nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Cum dicitur gratiam ha-
bitualem præstare formaliter esse filium Dei ad-
optivum, hoc debet intelligi de illa ut habita per
spiritualem generationem, sicut natura non ali-
ter quàm ut terminans generationem natura-
lem, præstat formaliter esse filium naturalem:
unde licet in Spiritu sancto, non minùs quàm in
Verbo natura divina invenitur, quia tamè Spi-
ritus sanctus non convenit per generationem na-
turalem, filiationem naturalem non fundat, nec
Spiritum sanctum, filium Dei naturalem consti-
tuit. Licet autem gratia habitualis animæ Christi
conveniat, infusio tamen illius, spiritualis gene-
ratio non est, quia licet ad naturam Dei partici-
pam terminetur, non terminatur ad illam se-
cundum modum naturæ, sed ad modum pro-
prietatis consequentis gratiam unionis, & ad il-
lam ut ad finem ordinatur cum tamen de ratio-
ne generationis sit, terminari ad naturam sub
conceptu naturæ primariò in intentione & in
executione, & idè in Christo non fundat filia-
tionem adoptivam, sicut in aliis iustis.

Respondeo secundo, distinguendo rursus
eandem Majorem: Gratia habitualis præstat for-
maliter esse filium Dei adoptivum, quando sub-
jectum est capax filiationis adoptivæ, concedo
Majorem. Si non sit capax illius, nego Majorem.
Suppositum autem Christi, cum non sit extra-
neum à Deo, utpote identificans sibi naturam
divinam, & habeat jus ad illius hereditatem per
naturam, est in capax filiationis adoptivæ; & id-
è licet in ipso gratia habitualis reperitur, filius
tamen adoptivus Dei esse nequit.

Dices. Effectus formalis formæ est ipsa forma
communicata subiecto: Ergo si gratia habitualis
sit causa formalis filiationis adoptivæ, repugna-
bit illam communicari alicui subiecto, nisi illud
filium Dei adoptivum constituat.

Respondeo effectum formalem formæ esse ip-
sam formam communicatam, non cultis sub-
jecto, sed subiecto talis formæ capaci, subinde-
que si subiectum aliquod filiationis adoptivæ sit
in capax, quamvis ipsi communicetur gratia ha-
bitualis, quæ est causa formalis talis filiationis,
filius tamen adoptivus non erit.

Instabis: Non ita capacitas in subiecto ad for-
mam, cum incapacitate ad illius effectum for-
malem: Ergo si gratia habitualis sit causa forma-
lis filiationis adoptivæ, non poterit in Christo
esse incapacitas adoptionis, cum capacitate ad
gratiam habitualement. Consequentia patet. Ante-
cedens probatur. Non stat in subiecto aliquo
capacitas ad calorem, albedinem, vel quantita-
tem, cum incapacitate ad esse calidum, album,
& quantum: quia calor est adæquata forma cali-
di, albedo albi, quantitas quantis: unde quia in
Angelo est incapacitas ad tales effectus, formas
à quibus proveniunt recipere nequit: Ergo uni-
versaliter verum est, non stare cum capacitate
ad formam, incapacitatem ad effectum forma-
lem illius.

Respondeo distinguendo Antecedens: Non
stat capacitas in subiecto ad formam, cum inca-
pacitate ad illius effectum formalem primarium
transeat Antecedens. Ad illius effectum forma-
lem secundarium, nego Antecedens, & Conse-
quentiam, nam filiationis adoptivæ non est effectus
primarius, sed secundarius gratiæ habitualis, &
aliàs cum sit connotativus, potest gratia existere
sine illo, & in subiecto est capacitas ad gratiam,
cum incapacitate ad hunc effectum formalem:
exempla autem ad probationem Antecedentis
adducta, solum de primario effectum convincunt.

Obijcies secundò: Si Christus non esset filius
Dei adoptivus, maximè quia filius ejus naturalis
est: Sed hæc ratio non valet: Ergo ruit præci-
puum fundamentum nostræ sententiæ. Major
patet, Minor probatur multipliciter. Primo quia
licet Christus ut subsistens in divinitate, filius
Dei naturalis sit, prout tamen in humanitate
subsistit, non est formaliter filius naturalis Dei,
sed solum identicè & materialiter: Ergo de Chri-
sto prout sic potest dici filiationis adoptivæ.

Secundò, Filius naturalis per generationem,
potest esse adoptivus: Ergo licet Christus sit fi-
lius naturalis Dei, ratione æternæ generationis,
nihilominus filius ejus adoptivus esse potest.
Consequentia patet, Antecedens probatur ex
jure civili lege *Qui liberatus*, ff. de adoptionibus,
ubi dicitur: *Qui liberatus est patris potestate, honestè
reverti non potest, nisi adoptione*: Ergo filius natura-
lis, à patria potestate mancipatus, potest sub illa
per adoptionem constitui, subindeque non re-
pugnant in eodem supposito adoptio & filiationis
naturalis.

Tertio, Filiationis non convenit personæ ratio-
ne sui, sed ratione naturæ, unde ad adoptionem
non peritur extraneitas suppositi, sed sufficit ex-
traneitas naturæ: Sed Christus ut homo est ex-
traneus naturæ à Deo: Ergo licet sit filius ejus
naturalis, ratione suppositi divini, potest tamen
ratione naturæ assumptæ, constitui & denomi-
nari filius ejus adoptivus.

Denique, Si à Christo excluderetur filiationis
adoptivæ, ex eo præcisè quod est filius naturalis
Dei, sequeretur quod in casu quo Spiritus san-
ctus naturam humanam assumeret, foret filius
Dei adoptivus: Sed hoc dici nequit, ut infra di-
cemus: Ergo ratio illa non valet. Sequela proba-
tur: Spiritus sanctus humanitatem assumens, fi-
lius

lius Dei naturalis non esset, ut constabit ex infra dicendis: ergo si ex eo præcisè excludatur filiatio adoptiva à Christo, quod filius Dei naturalis est, Spiritus sanctus naturam humanam assumens, filius Dei adoptivus esset.

37 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius primam probationem, nego Antecedens, ut enim dicemus articulo sequenti, Christus in quantum homo est filius Dei naturalis formaliter, *in quantum* determinate in re & non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens non reduplicative, sed specificative; unde Christus, etiam in quantum homo, & prout subsistens in natura humana, est incapax filiationis adoptivæ: ad adoptionem enim, ut supra dicebamus, requiritur persona extranea, ut constet ex eius definitione: licet autem Christus ut homo, seu ut subsistens in natura humana, sit naturæ extraneæ suppositum, non tamen est persona extranea; si- cut licet in quantum homo sit suppositum naturæ finitæ, & à Deo distinctæ, non tamen est persona finita, nec distincta à divina Verbi persona.

38 Ad secundam dicendum, quod licet in humanis & civilibus, filius naturalis extra patriam potestatem existens, possit olim adoptari à patre, & per adoptionem ad ipsum reverti, repugnat tamen filium Dei naturalem, ejus filium adoptivum fieri: nam in jure civili Romanorum, filius extra patriam potestatem existens, privabatur omni jure ad patris hereditatem; & quia solùm hoc jure attendit civilis consideratio, sit ut in consideratione civili filius naturalis non esset, ac proinde incapax existeret civilis adoptionis: filius autem naturalis Dei, semper est in consideratione Theologica filius proprius, naturalis, & verus, cum quo non comparatur esse filium adoptivum; nam ut supra ex Concilio Francofordien- si ostendimus, adoptiva filiatio dicit negationem filiationis veræ, naturalis & propriæ.

39 Ad tertiam nego Majorem: Ut enim egregiè dicitur S. Thomas quod lib. 9. qu. 2. art. 4. forma competens supposito ratione naturæ, respicit naturam ut per se primum subiectum, ut constet in passione, morte aliisque passionibus & actionibus, quæ quia supposito ratione naturæ competant, respiciunt naturam ut subiectum per se primum: Sed filiatio non respicit naturam ut primum subiectum sui. Ergo non convenit supposito ratione naturæ, sed immediate comparatur ad personam. Probatur Minor: Forma respiciens naturam ut per se primum subiectum, denominat per se primum naturam, & ratione illius personam ut in eisdem exemplis actionis & passionis conspicitur, quæ quia primario comparantur ad naturam, & ratione illius attribuantur supposito, denominant per se primum naturam: Sed filiatio non denominat naturam, hæc namque nec filia nec pater dicitur: Ergo natura non est primum filiationis subiectum.

40 Dices cum Petro Hurtado, cui hæc ratio D. Thomæ displicet: Si humanitas produceretur sine aliqua substantia (quod plures censent possibile) vere esset producentis hominis filia: Ergo filiano potest denominare, denominatque naturam. Consequentia patet, Antecedens probatur. Humanitas in illo casu esset per generationem producta, utpote cum illius productio esset origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ: Ergo vere esset genita, & consequenter gignentis hominis filia.

41 Respondeo negando Antecedens, ad cuius

A probationem dicendum, quod filiatio omnino-ritum non denominat, sed solam gentem com-pletè & perfectè tale: humanitas autem cum filia- sistentia producta, non esset genita secundum perfectam denominationem gentis, & ideo non esset filia.

Ad ultimam probationem Minoris principa- lis, nego sequelam Majoris, licet enim à Spiritu sancto, in casu quo humanitatem assumeret, non excluderetur filiatio adoptiva, ratione filiationis naturalis, quæ ipsi non competit, cum ex illa processionis non procedat in similitudinem natu- ræ, ut in Tractatu de Trinitate declaravimus: ob aliam tamen rationem filiatio adoptiva non competet, quia nimirum adoptio per extraneitatem personæ, id est personam distan- tiam ab adoptante, & non habentem ab adoptan- seco jus ad hereditatem: verò Spiritus sanctus, ut homo, non esset persona extranea à Deo, non esset personaliter distinctus à seipso, ut in Deitate subsistente, jusque ab intinco habere ad hereditatem Dei, subindeque filius ejus ad- optivus non esset.

ARTICULUS II.

C An Christus, in quantum homo sit formaliter filius Dei naturalis?

C Christum ut hominem in sensu materiali & identico esse filium Dei naturalem, fate- tur omnes Theologi, nec ab aliquo potest nega- ri, est enim veritas fidei, eadem certitudine tenenda, quæ credimus mysterium locutionis, consistens in unione duarum naturarum in per- sona Verbi, quæ filius Dei naturalis est. Unde Joan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam qualem geniti à Patre.* Solùm ergo difficultas est, & con- troversia inter Theologos, an in sensu formali sit verum, Christum ut hominem esse filium natu- ralem Dei? 2. ut determinante naturam huma- nam, vel suppositum terminans humanitatem, specificativè, aut reduplicativè.

D Prima sententia docet Christum in quantum hominem esse filium Dei naturalem, *in quantum* determinante & reduplicante naturam huma- nam. Hanc tenent Suarez, Valquez, Becanus, Hurtado, & alii ex Recentioribus; qui tamen eo differunt, quod Hurtado existimat, Christum in quantum hominem, esse filium Dei naturalem filiatione fundatâ in humanitate quatenus Verbo unitâ. Alii verò asserunt, Christum ut homi- nem esse filium Dei naturalem, filiatione fundatâ in sanctificatione humanitatis à Verbo.

E Secunda negat Christum ut hominem, *ut ut, vel in quantum*, determinante naturam, sed de- terminante specificativè, aut reduplicativè sup- positum ut in humanitate subsistens, esse in sen- su formali filium naturalem Dei. Ita Francisco del Castillo disp. 17. quæst. 1. parte 4.

Tertia, quæ in schola D. Thomæ communis est, & quam Delogo, Ragula, & alii ex Patribus Societatis amplectuntur, docet Christum ut homi- nem, *ly ut* reduplicativè aut specificativè de- terminante naturam humanam, non esse filium Dei naturalem; determinante tamen supposito terminans humanitatem, esse filium Dei natu- ralem, filiatione fundatâ in generatione eterna, & per gratiam unionis humanitati communicatâ.